ALBERICI
GENTILIS
I. C. Professoris Regii

De

Libris Iuris Ciuilis

DISPVTATIO.

AD ROBERTVM FILIVM.

Nunc primum in lucem edita.



HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,
M D C V.

(3.

CLARISS. ET REV^do^ V.

NICOLAO BONDO, S. T. Doctori, & amplissimi Collegii Magdalenæ Præsidi dignissimo,

ROBERTVS GENTILIS S.P.

VTINAM *tantæ (Præses reuerende) meæ essent hodie vires, vt pro dignitate officii erga me tui, & Collegii* Magdalenæ *tui, possem vobis referre gratias pares: vtinam possem dignas agere; vtinã, quas concipio hac animula, dicere possem. Sed destituor vbiq;, & nullus sum. Accepi à patre, studiosissimo tui, amantissimo Collegii tui, vides, ecce Disputationem quandam, quam habuit mihi* De libris iuris ciuilis. *Illam ego affero tibi, dono, dico. quæ testimonium sit nonnullum obseruantiæ meæ erga te, & tuos*, Bough-

tonum, Pearyerum, Humfredum *vtrunq;, Doctorem meum* Buddenum, *alios omnes, omnes. Tu, qui in omni genere doctrinarum tantum vales, quantum pauci, etiam nec spernes (spero) munusculum à collectore tuo: aut quia de iure est, quod sequitur diuinum tuum, & à patre (vt dixi) studiosissimo tui.*

Salue, Præses nobilissime. Oxonii,
ex Collegio S^{ti} Iohannis.
Idib. Apr. 1605.

ALBERICI

ALBERICI GENTILIS I. C. Professoris Regii De Libris Iuris Ciuilis DISPVTATIO,

De numero, & ordine librorum.

CAPVT I.

AVDISTI, Roberte fili, historiam veteris iuris: & quomodo illud Iustinianus Imperator contraxit in libros pauciores, sed & aliis auxerit nonnullis. De quibus nunc explicādum est omnibus, & quidem diligentiùs, quàm factum est de prioribus, qui præ Iustinianicis istis veriùs dicentur antiquæ fabulæ, non positi in argumentis rerum, ab auctoritate iuris sepositi. Iustinianicos autem nominaui tibi Digestorum libros

quinquaginta, Institutionum IV. Codicis duodecim, & Codici quædam paucula inserta Friderici [a] etiã post compilationem consuetudinum feudalium. nominaui & magnũ numerum Nouellarum, & omnibus his Iustinianicis adiectos duos libros Feudorum, & libellum de pace Cõstantiæ, & alias quasdam extrauagãtes. [b] Hostiensis accenset præterea Lombardam. Cuius quidem operis, quod Lombarda audit, plures sunt libri, qui leges Longobardicas habent. [c] Et Iohannes Andreæ dicit leges Caroli, Lotharii, Ludouici. [d] Carolum compilatorem earum facit aliquando glossographus, Odofredus reges Apuliæ indigitat. Sed ista nihili. Quæstio est, si illæ leges ius sint. Et videntur Hostiensi: qui eas numerat in libris iuris. item videntur glossographis: qui easdem citant sæpe. [e] imò & textus Feudorum illas citat: [f] & textus iuris canonici. Et Feudorum textus dicit, causas alias dirimi iure Romano, alias legibus Longobar-

[a] *Cass. Auth. cassa. C. de sacr. Eccl.*

[b] *Host. præf. su.*

[c] *Io. A c. 24. de decim.*

[d] *Gl. c. 1. 33. q. 1. Odofr. l. vlt. C. de don. ante nup.*

[e] *c. 1. de feu. cogn. c. 2. de al. pa. fe. c. vl. cum gl. qua. ol. po. feu. ali. & tit. de no. feu.*

[f] *c.* Raynutius.

gobardorum. Librum tamen illum non esse authenticum scribunt, idẽ Odofredus, Baldus, Isernia.[g] & de his scribit Curtius. Qui distinguit tamen cũ Isernia alibi, Aluarotto, & Alexandro, inter leges, quę in illo libro sunt imperatorum, Ludouici, Caroli, aliorum, & inter leges regum Longobardorum: vt illorũ sint hodieq; allegabiles, istorum non sint nisi inter Longobardos, aut nisi sunt relatæ in corpus iuris: vt sunt in libris Feudorum quædam:[h] vt multæ canonizatæ sunt, notantę Iohanne Andreæ de hoc libro Lombardæ, quod plurimumque adprobatus sit per ius canonicum, sed non per omnia.[i] Baldus de Odofredo, quod diceret, Lombardam quandam non esse legem, nec rationem, & ideo recessisse ab aula. generaliter autem quod de eo iure non sit curandum, nisi vbi ea lege vtuntur.* Atq; sic etiam Cæpolla, qui alicubi disputat de hoc latissimę. Atque sic ego teneo indistinctè. quoniam nec leges

g Cur. de feu. q. 4.

h Io. A. c. Raynutius, c. 10.

i Bal. Auth. dos data. C. de do. in. vi. & vx. l. 11. C. de nupt.

* Cæp. Auth. sed nouo. de seru. fug.

imperatorum tenent, nisi quæ recceptæ sunt vsu, & consensu tacito populorũ. Allegabantur autẽ de Lombarda olim: quũ & vigeret ius illud latiùs, ante repertos & receptos libros Iustiniani. qui nũc recepti sunt cõmuniter, exstinctis paullatim Lõgobardicis. Hodie cur non citantur Longobardici? Quis eos nouit? Nec in iudiciis audiuntur, nec in Scholis. Curtius, allegari eos, non vt iudicetur secundùm eos, sed vt varia lex, & cõsuetudo intelligatur. quod & alii. Dico ego alia huius argumenti mox: quum agã de Nouellis, & de Feudis. Nunc de supra dictorum ordine librorum expono. Recensui autem tibi Pandectas primùm: quę & compositæ primùm à Iustiniano sunt. Inquã compositas. quod ex procœmio apparet Institutionum. Nam de Codice, qui sit compositus priùs, illud de alio Codice intelligitur, vt statim audies. Iterum inquam compositas Pãdectas, & perfectas primùm. nam editæ, & confirmatæ sunt post Institutio-

tutiones. vt cognoſcimus ex ſubſcriptionibus præfationum vtriuſq; voluminis. *Data ſeptimodecimo calendis Ianuarii, Iuſtiniano domino noſtro ter cõſule:* ſubſcriptum conſtitutioni de confirmatione Digeſtorum. At præfationi Inſtitutionum: XI *Kal. Decemb. D. Iuſtiniano III conſ.* Et ſic Contius in Chronologia imperii Iuſtiniani: *Menſe Nouembri eduntur Inſtitutiones: ſequenti menſe Decembri eduntur Digeſta.* Et idem alii notãt. Quod ſi igitur in aliquo diſſentirent Inſtitutiones à Digeſtis, an ſtandum eſſe Digeſtis diceremus, veluti iuri poſteriori: quodq; adeo ius ſolum præ Inſtitutionibus eſſet? Imò vltimum in compoſitione voluminis ſtatutorum præualere, & tempus compoſitionis inſpici, non confirmationis, ſcripſit Dynus: [k] quem refert, & magis probat Raynerius. Etiam non attendi tempus confirmationis, ſed confectionis ſtatutorum vt cognoſcatur, an acta, facta contra ipſa ſtatuta, pendente horum confirmatio-

k Ray. l. omnes populi.

ne, teneant. [l] quod Bartolus, & alii diuersis in locis tradiderunt. [m] Ast neque locum compilationis mutare de loco confectionis, Alexander.

[l] *Bar. l.* omnes populi.
[m] *Alex. 6. cons.* 117.

Cęterùm de his tibi indicasse satis. Etiam quia illa quęstio statutaria vacat hîc variè. Primò, quoniam, nullas esse antinomias in libris Iustiniani, credere debes ipsi [n] ita adfirmāti imperatori, & mihi docenti aduersùm nouos aliquot interpretes nostros. Secundò, nam Institutiones, cùm sint Digestorum epitome, etiā sunt referendæ in dubio ad Digesta semper, & ex Digestorum latioribus fontibus capiendæ. Dico, in dubio: quoniam nonnihil est in Institutionibus [o], quod omnino derogat iuri Digestorum. Exempli gratia illic, vbi de tabula agitur, & pictura: & vbi traditur, tabulam picturæ cedere: inquit autem Iustinianus post relatas veterū opiniones, *Sed nobis videtur, melius esse, tabulam picturæ cedere.* quod, manifestè correctorium, fru-

[n] *const.* tāta.
[o] *Inst. de re. di.* §. literæ.

stra,

ſtra, & ineptè tentant componere cum eo iure,[p] quod exceptum in Digeſtis eſt. Tertiò autem eſt notandum tibi, quod vt Digeſta ſint priùs compoſita, & poſteriùs confirmata, Digeſtis tamen, & Inſtitutionibus vnus, idemq; dies valituris ſtatutus eſt, *tertio Kalendas Ianuarias*, in ſupradicta conſtitutione de confirmatione Digeſtorum. Et ita ad diem eundem & confectio, & editio vtriuſq; operis videri relata debet. Sic autem de Digeſtis, & Inſtitutionibus.

p l. 23, de rei vind.

Codex editus bis eſt. & primò ante Digeſta, & ante Inſtitutiones. vt ſic legis in proœmio Inſtitutionum. & ſic ſubſcriptio *De nouo codice faciendo*, in ſecundo conſulatu Iuſtiniani: & conſtitutionis *De Iuſtinianeo codice cõfirmando*, in conſulatu Decii, anno ſequente: quadriennio ante editas Inſtitutiones, & Pandectas. Et nouum appellat Codicem propter Theodoſianum, & alios, qui ante Iuſtinianicum erant. Codex, quem habemus, in quarto conſulatu eius-

dem Imperatoris eſt editus. quod ſubſcriptio tibi oſtendit conſtitutionis, *De emendatione Codicis domini Iuſtiniani, & ſecunda eius editione.* Adi & ad Albericum illic. Et ita doctores quidam, etiam magni falluntur valde, qui volunt, compoſitas Inſtitutiones poſt Codicem: Itaque ius illarum præualere iuri iſtius. [q] Qua de re notaui alibi. Falluntur certè in in eo, quod diſtinguunt Codicis leges quinquaginta, quas additas volunt in illa emendatione poſt Inſtitutiones: ſed in reliquis ſit Codex antiquior. Leges illæ quinquaginta ſunt, quæ dicuntur quinquaginta deciſiones Iuſtiniani: quę ſcilicet veterum controuerſias decidant. De quibus pleniſſimè omnium Eguinarius Baro in principio commentariorum ſuorum ad Pandectas. Vbi, quod & aliæ leges quamplures adiectæ præterea nouo Codici ſunt. Eſt igitur nouus, quem habemus, Codex idem vbiq; & ius idem habet vbique. Quid? ſi Codex à Digeſtis diſſen-

[q] *Alb. 5. de sup. 11.*

diſſentiret extra illas quinquaginta, ius Digeſtorum, velut Codice priore poſterius, in aliis præualeret? Nuſquam lectum, numquam auditum. Tene igitur, Codicem ſibi parem eſſe vbiq;, & ius recentius iure Inſtitutionum. Sic autem tenendo, defendes multa impugnata, expugnabis etiam defenſata. Poſt Codicē haud dubiè ſunt Nouellæ omnes. quod Contius tibi explicat in illa Chronologia. [f] Fallitur in reſpōſis doctor meus Oddus, dum ſcribit, eſſe diuinare, ſi dicitur, tempore Inſtitutionum non fuiſſe factam Nouellam *De triente & ſemiſſe*. quia Nouellę fuerint editæ variis temporibus, *&c.* Fallitur iuriſconſultus doctiſſimus. Ea nouella in ſua ſubſcriptione oſtēdit, ſe editam biēnio poſt Inſtitutiones. Dixi autem Iuſtiniani nouellas, quia quæ ſunt Iuſtini patris, vtiq; ante omne ius ſunt Iuſtinianicum. Et ergo de his Iuſtini an dicimus, quod cedāt iuri omni Iuſtinianico, veluti poſteriori? Magnum, & inauditum verbū,

[f] *Odd. 1. cōſ. 8.*

nec facilè obtinendum, at verbum verum tamen. Neque enim possumus de his Iustini respondere, quod de constitutionibus omnibus in Codice, esse Iustiniani omnia, quę collegit idem in Codicem suum. nam collectio Nouellarum non fuit à Iustiniano.

Post Nouellas modò, & post secula libri sunt Feudorum, & Extrauagantes. Qui numerus, atque ordo librorum iuris ciuilis est. Nunc de singulis audi, quid in illis habet, & si quid in illis non habet iuris auctoritatem.

De Pandectarum triplici editione,
Cap. II.

ET ad Pandectas hoc notandum in primis est, triplicem esse illarum editionem. Est vulgata editio: atque ista multiplex est. Est editio Norica, laudatior supra omnem vulgarem. [s] *meritò cæteris integrior, & emendatior habetur:* ait Duarenus. Est editio Florentina laudatissima, &

[s] *Duar. 1. disp. 29.*

fermè

fermè ſacro-ſancta. Dicimus vulgarem, quæ ſemper fuit in manibus omnium eandemque multiplicem, quæ non vbiq; eadem fuit omnibus, ſed ſæpiſſimè varia. vt inq; veterum gloſſis frequentiſſimè legimus de alia, atq; alia loci eiuſdem lectione ſecundùm alios, atq; alios libros. Imò etiam tituli variant in illa aliquãdo. vt ſic erat alicubi titulus *De ædilibus curulibus*: quod vides in lecturis Angeli: & audis de illis Romani, [t] *l. ædiles curules. inf. de æd. cur. quæ apud libros antiquorum eſt in tit. de vi pub.* Et nunc eſt in titulo *De via publica, & ſi quid in ea factum eſſe dicatur*, in libris omnibus Græca ἐκ τοῦ ἀστυνομικοῦ Papiniani. At Norica editio dicitur, quam Gregorius Haloander concinnauit. atque ita nuncupatur Haloandri editio, paullo ante editionem Florẽtinam: quæ fuit anno MDLIII. Vnde autem ſuam editionem Haloander cõfecerit, detexit Antonius Auguſtinus. Ex libris Bolognini confectam ſcribit, qui ex libris Politiani mana-

[t] *Rom. l. 1. §. ſi quis in villa. num. 7. de Silan.*

runt, emendatis ad Florentinum exemplar [u]. Vt ſic in multis locis emendationum ſuarum. Ait, profiteri quidem Haloandrum, ſe ſequi Florentinum librum: quòd & illuſtrius ad nomen, & cautius ad fidem exiſtimabat, id dicere, quàm id, quod verè fecit, Bolognini deſcriptionem ex Politiani libris acceptam dicere ſe proferre. Cæterùm nec viderit Florentinum Haloander, ſed nec Politiani, at ſolum librum Bolognini. Similia narrat idem Auguſtinus de Alciato. apud quem nonnumquã libri Etruſci, aut Florentini appellantur, qui ſunt Bolognini, & Haloandri. Et leges etiam apud Auguſtinum, cur ſæpiſſimè Noricus à Florentino diſſidere deprehendatur, etſi idem ille ſumptus ab hoc eſt. Scilicet quia nec Politianus ſemper conſuluit diligentiſſimè Florentinum, aut ſuum cum iſto cõtulit: nec Bolognin⁹ de Politianeo deſcripſit, vt oportuit. Creſcere errata ſolent. Et ſic vulgares mendoſiores: qui ab eodem

[u] Aug. præf. & c. 1. 3, lib. 3. & c. 16. lib. 4.

eodem Florentino ſunt, certè ſunt longiùs. & non ſolùm inter ſe locis (inquit Auguſtinus in præfatione) contrariis ſexcentis, ſed & ab archetypo in plurimis, & cum varietate ſcribendi tertio quoquo verbo. Manus quælibet addit vitia ſua. Et plura ſic ſunt vitia in vulgaribus libris, qui plurium manibus expreſſi ſunt. Porrò autem Florentinusq; liber citatur in gloſſis non infrequenter, ſed ſub nomine tamen Piſani. quoniam Piſis erat ánte quàm cum ipſa vrbe Piſarum veniſſet in poteſtatem Florentinorum. Et nota hæc ſunt, [x] & notata ab aliis. [y] Adnotandum tamen eſt, quod aliquando etiam Pilei liber intelligendus eſt in gloſſarum nota illa *P*, aut etiam *Pi.* Et alicubi à librariis, & exſcriptoribus eadem explicata eſt nota malè, quaſi ſcribere gloſſographus voluerit de Piſano, cùm imò voluerit de Pileano. Atque tu de Pileano ſic exiſtimes, fuiſſe illum librum Pilei, vetuſtioris gloſſatoris, librum proculdubio notæ cæ-

[x] *Cap. rub. de V. S.*

[y] *Aug. 1. em. 3. & lib. 3. c. 3.*

teris vulgaribus tunc melioris. De variis autem Pandectarum editionibus satis. Sequitur, vt videamus, quid in ea tanta varietate, facere, & vbi ius capere nos oporteat. Neque tamen de tota critica, quod longissimum esset, attingo. Nam & idem pertinet ad interpretationem magis, quam ad constitutionem, quam quærimus, librorum Iustiniani. Cur enim quæram aut hoc generaliter, si etiam in Florentinis ipsis vllæ sunt mendæ? [z] Habet P. Faber in Semenstribus caput de erroribus scripturæ ipsorum quoq; auctorum, etiam bonorum, & vetustorum, non solùm librariorum. Quid? non omnes Theologi, & veteres, & noui errata quædam confitentur in scriptura librorum Dei sacrosanctorum? Et de his tamen, non patiar, facilè persuaderi mihi aut à mundo vniuerso. Nam si alicubi, errat isthic scriptura: quæ mea fides certa sit, quod non erret etiam alibi, atq; alibi etiam? [a] Vt sic Augustinus ait, quod si vllum mendacium

[z] Fab. 2. Sem. vlt.

[a] C. 7. dist. 9.

dacium

dacium minimum conceditur in ſcriptura, vniuerſæ iam ſcripturę auctoritas labefactetur. Non credo illud Theologis, non credo. Alia quæſtio eſt ad libros Digeſtorum, ſi Florentinus liber ſit Iuſtiniani archetypus, aut certe eius imperatoris ætate ſcriptus, vel poſtea. [b] Et Politianus non dubitat, librum ſcriptum ætate Iuſtiniani. At Ant. Auguſtinus in principio Emendationum contrà cenſet: & docet firmiter, ſcriptum poſtea. [c] Quæ & ſententia Alciati, & de multis ſeculis pòſt: item Duareni. [d] Quod ſi vero archetypus ille eſſet, etiam certum conſequeretur, addi illi nihil poſſe, nihil detrahi, nihil immutari citra falſi crimen. Sed ſi non eſt archetypus, an ab eo tamen (quæ item alia eſt quæſtio) manarunt reliqui? [e] Et hoc tenet Auguſtinus. [f] Cuius bonis rationib. non reſpondet Cuiacius: qui idem hoc negat. Sed nec reſpondet: Contius qui negat pariter. Et is tamẽ affert nõni-

[b] *Polit. x. ep. 4.*

[c] *Alc. 3. diſpun. 12. & l. 4. de V. O. Duar. 2. diſput. 9. & 15.*

[d] *Conſtanta.*

[e] *Aug. 1. Emend. 1. & alibi. & in lib. De legi. in Iulius.*

[f] *Cuia. 2. Obſ. 1. Cont. ep. ad lect. ante Pand.*

hil, vt probet, non omnia inde profecta. inde profecta reliqua post titulum, *ad legem Falcidiam* confitetur. Ergo, si manarunt omnes à Florentino, quod in isto nõ fuerit, idem nec esse debet in aliis. [g] Nihil in exemplis, quod non sit in exemplari. inquiunt canonistæ. Sed & cùm sit Florentinus opinione omnium supra alios, etiam sequitur, vt de ipso capere ius debeamus magis, quàm de aliis. Ostendam auctoritatem illam tibi? Nemo hodie negat. Etsi quidam contendant, in eo etiam libro esse menda.[h] Olim definiebat liber simpliciter, & prorsus de veritate litteræ. & ad eum pro hac veritate recurrebatur per viros summos. quod notum est, & notatum. [i] Referunt autem & de sæua controuersia inter Bartolum ac Baldum sic sedata per recursum ad istas Pisanas pandectas. Et Socinus iunior malam famam de Baldo credit falsam, quod falsauerit libros alios omnes, & pœnas dederit. doctor autẽ meus Lancellot-

[g] *DD. c. 15. de fi. instr.*

[h] *Ang. l. 15. de vsucap. Castr. l. 22. loca.*

[i] *Alex. l. 17. §. 1. sol. mat. Soc. in §. diui. nu. 180.*

cellottus amplâ apologiâ, quæ operibus Baldi adiungitur, eandem famam refutat. Atq; igitur notandum est de eius libri Scriptura nonnihil, quod plurimum facit ad iuris constitutionem.

De Scriptura Pandectarum Florentinarum. CAP. III.

SCriptura eius libri est non modò absque interpunctione vlla, sed & absque vlla distinctione verborum. quod Augustinus, & Taurellus testantur. Qui mos priscus scribendi fuit. vt ita etiam Erasmus præfatione ad Carolum Montioiũ in quinq; libros Liuii postremos: *Exemplar admirandæ vetustatis, prisco more, perpetua litterarum serie ita depictum, vt difficillimum fuerit, verbum à verbo dirimere, nisi docto, attento, & in hoc ipsum exercitato.* [k] De eadem autem Scriptura libri Florentini videndus Taurellus, videndus Augustinus. qui, & quod nec veteres Romani vterentur interuallis punctorum, & spatiorum.

[k] *Taur. præf. ad Pa. Aug. 1. em. 4. 9. & lib. 3. c. 7.*

Et hæc, quæ notanda nobis singulariter. *Neque quemquam moueat, quod puncta arbitratu nostro addamus, atque mutemus. sunt enim Florentiæ rara admodum. Hoc genere emendationis Accursius vtitur crebrò. Haloander quoq; interpunctiones mutauit. Omnib. suadeo, vt si quid aut iniquum, aut minus apte scriptũ repererint, quod facilè punctis ablatis, aut additis restituatur, id facere non dubitet. Habẽt optimorum librorum notã scripturam: habent maiorum, & recentium iurisconsultorum exemplum. Seruetur modo is, qui in reb. omnibus desideratur modus.* Et alii item interpretes sic. [m] *Cõstat, interpunctiones esse librariorum magis, quam auctoris nostri: propterea q; his nos non teneri:* ait Balduinus. [n] Sic Accursius, *solue punctando litteram, vt modo dixi*: Sed is sic crebrò, vt Augustinus dixit. [o] *Ego distinctione puncti explicandam rem arbitror*, inquit Alciatus. [p] Sic facit Cuiacius sæpe. contra quẽ & aliquando scribit Hotomannus. Etiã canonistę sic sunt non rarò cum interpunctionibus. qui tamẽ niti nõ poterant scripturæ veteri eiusmodi,

m *Balduil. vlt. qui sat. cog.*

n *Gl. l. 1. de off. cons.*

o *Alc. 8. Parerg. 13.*

p *Cuia. 1. Obs. 14. lib. 6. c. 1. lib. 20. c. 24. Hot. 2. amic. 14.*

qualē narro Pandectarũ Florentinarũ. Et habent etiam iidem regiſtra, ad quæ recurrant, vt audies. Habent hodie Romanã Gregorii XIII editionē, quã ſequantur & præ regiſtris, & præ editione alia omni. quod tu nota. Semper .n. pars interpretationis aliqua iſthic eſt.[q] Audi: *Sũmo, Diuidēs,* PVNCTO, *caſum, exponoq́, notãda*: ſcribit Iohãnes Andreę.[r] Et ego miror, non expreſſam punctandi partem in ſimilibus Gribaldi verſiculis. Quis .n. neſcit, quãta ſit vis interpũctionis? [s] Nemo neſcit. vt de Alciato reſcribit doctor meus Eugenius. qui & ad inſtrumētũ quoddã ſic diſceptat. Etiã Nicolaus Euerardus, de his in pambulo ad ſuos locos. Et Galenus de ſophiſmatis in fine, q ex non adiectis punctis diuidētib. & accētib. in ſcriptis orationib. fiãt ſophiſmata. Addo tibi tu, q̃ didiciſti in elēchis Ariſtotelis ſophiſticis. Quod ſi vis etiam rationem adhuc vnam, vel alteram hîc conſtituēdæ litterę, poſt id, quod audiſti generaliter de Auguſtino, ecce audi: [t] Ratio recti ſermonis ſeruari

[q] *Io. A. c. ſ. de regula.*
[r] *Grib. 1. de ra. ſtu. 14.*
[s] *Eug. 1. reſp. 7.*
[t] *Dec. conſ. 14.*

debet in legendo, & punctando litteram. sic Decius. [u] Littera punctanda eo modo, quo casus dubius deciditur. sic Romanus: de quo & refert Euerardus. Sed hæc aliò spectant magis tamen. Veteres ([x] quorũ more exaratumque Florentinum librum scribit & Contius) nec habuere characteres hos minutiores, [y] sed maiores tantùm in vsu: quos vulgo nominamus capitales; litteras quadratas dixit Petronius, [z] vt meus amicus, item tui amãtissimus declarat Meursius ingeniosissimus. [a] Vnciales, quas dixit Hieronymus. Sunt, quas idem Petronius ingẽtes, *ingentibus litteris frontes impletas*, de seruis dum loquitur fugitiuis. Easdem nos Itali *lettere di scattole*: quibus signatæ pyxides pharmacopœorum: & quæ sunt grandes, & clarę, vnde de plano ([b] vt lex loquitur) rectè legi possunt. Itaq; veteres nec habuerint vllas interpunctiones, & vix apparentes vllas distinctiones verborum. Sub Hadriano hæc cœpisse videntur: vt ita legi-

u *Rom. cons. 509. Euer. à ra. le. la.*

x *Cont. ep. ad lect. ante Pan.*

y *Ald. ort.* consumo.

z *Meur. 2. crit. 17.*

a *Hier præf. Pent.*

b *l. 2. de institu.*

legitur in Suida de Nicanore quodã grammatico, qui tum de interpunctione libros ſcripſit. Certiſſima tamen mentio rei eſt apud grammaticum Diomedem. Adieris ad epiſtolam Lipſii de diſtinctionibus: Vbi loca quædam Ciceronis hinc amouet, & Senecæ, quæ oſtendere potuiſſent antiquiorem iſtius rei originem. Sola puncta facit veteribus: qui ſic ſingula verba ſecernebant. & lectorem turbabant magis, quàm adiuuabant. Dico alibi de Hieronymo quædam hîc apta. Porrò autem ſi nullius interpretis auctoritas tanta eſt, vt eius interpretatio, etiã recepta, & probata communiter, faciat legem: hîc interpunctio fuerit lex tanto minus, vbi plurimum typographorum operę imperitiſſimi agunt, librarii non peritiſſimi egerũt, interpretes nõ ſemper ſunt diligentiſſimi vt aduertant animũ. Vt ſit ſemper iniquiſſimum, vrgere aliquam interpunctionẽ, vel communem. Et quod faciunt tamen etiã doctiſſimi, qui ignorarũt ſupradicta Florẽtinæ ſcripturæ. [c] vt ita Ia-

[c] *Iaſ. l. captatorias. num. 3. C. de teſtam.*

ſon non patitur, legi abſq; interrogatione, quod cum interrogatione ſit communiter in l.1. de leg. 2. Et tamen Roglerii interpretatio, eximẽtis interrogationem, eſt melior. vt trado in libris De conditionibus. & vt eam interpretationẽ bonam ait illic Florianus. [d] *Quilibet ſuò ipſius arbitrio his* (diſtinctione clauſularũ, diſtinctione vocum, item punctis, accentibus, diphthongis cõiunctis, notis ipſis interrogandi) *aliter, atq; in hoc noſtro inueniet, vti poſſit,* ait Taurellus. [e] Idẽ Iaſon refutat alibi neſcio quid aliud & ob aliam cauſam, & ob iſtam. Sed iſta non eſt idonea. Sed & alii alia aduerſus obſeruationẽ hanc noſtram, certè non cum obſeruatione hàc noſtra optima. Interrogatio contrà conſtituitur alibi optimè, vbi nec ſit: fortè in l.28. de vulg. illic, *nõ cõmodè dicitur, hereditatem eius ex ea lege ad ſubſtitutos pertinere?* Vbi alii legũt libri omnes ſine interrogatione: & ideo nec ſine pugna cũ alia lege. & quæ pugna tollitur per ſolam interrogationẽ additam:

[d] Taur. de praef.

[e] Iaſ. l. 64. de leg. 1.

tam: quam Florentini libri ſcriptura admittit nullo negotio: cũ interim reſpuat emendationem forti manu. Audies, quàm ſint multæ, & quędam multo duriores rationes cõponendarũ antinomiarũ: pręquib. hęc noſtra interpungẽdi ſit planiſſima. [f] Alia autem ſic ſunt de ipſa nota interrogationis adſcribenda. [g] Nunc vide ad diphthõgos, quę Duarenus in anniuerſariis, Cuiacius in obſeruationib. ſcribit. Ille *ædulitatis* vocabulũ retinet in aliqua lege, & vſitatũ oſtẽdit tempore iuriſcõſultorũ ex Lampridio: nõ patitur, ab Alciato, & Budæo reſtitui *ædilitatis*. Ibi alia vocabula in vſu poſt ætatem Ciceronis oſtẽdit: & alio loco verbũ *rigorare* ex Plinio. At de his in alia diſputatione. Cuiacius *edilitatis* & *edulitatis* facit idẽ, ſed retinet tamẽ cũ diphthongi nota *ædilitatis*, vt ſic Florentię *aedilitatis*: quã notã nec à Duareno, nec ab Accurſio animaduerſã credit. Refutat deinde rationes Duareni alibi: vbi & ſcribit, veteres ſcripſiſſe ꝓmiſcuè *ædulitatẽ* & *ædilitatẽ*. De diphthõgis nõ

[f] *Gl. l. 4. §. 4. de ſtatul.*

[g] *Duar. 1. diſp. 26. 32. Cuia. 2. Obſ. 23. & lib. 14. c. 13.*

dicitur, quod Florentinæ nō ſint, ſed quod cōiunctæ non ſunt. Et itaq; variare etiam poſſit alicubi aliquid ratio ſcripturæ iſthic Florētinæ. quod in coniunctis diphthongis non poteſt contingere: quæ ſunt diphthongi ſemper. Neque tamen nunc mihi ſuccurrit exemplum, quod dicam in ipſo libro [h]. Hoc dico, legi diphthōgum diuiſim in libris veteribus. Hoc dico, non vetari nos, exemplum alibi commonſtrare [i]. Dic tu exemplū in *aeripide* cerua tui Virgilii: ad quā certant grammatici, ſi celeritatem habuiſſe dicatur pedum, vocabulo ab *aere* compoſito; an firmitatem compoſito vocabulo ab *ære*. Poteſt Florentina ſcriptura variare ſic aliter. quod tu obſeruaueris [k]. Dicamus nunc exemplum in accentu. quem ſi appingis verbo *quòd* in l. in quartam. ad leg. Falc. vindicaueris iuriſconſultum à tautologia facile: quam alii non effugiunt facilè, qui legunt absque accentu.

h *Scal. in Catul.*

i *Virg. Æn. 6. Scal. & Vin. in Auſo. Brod. 3. Miſc. 29.*

k *Cors. i. indag. 4.*

Sed de ipſis verbis conſtituendis

etiam

etiam dixi ad d.l.1.de leg.2. quemadmodum & distingui ibi posset verbum *veluti*, in duo, *vel vti.* [l] Et certè sic distinxi in l.5. de extr. cognit. *vel vti cùm aqua, & igni,* &c. ne lex ea dissideret à prin. tit. Inst. de cap. dem. Et quod quidam primarius in Germania professor vindicabat factum hoc [m] Ræuardo. qui tamen legit *vel vtique.* & aliis rationibus mouetur, non scriptura, cui ego innitor soli, Florentina. Etiam aliis dispescuntur alia sic. in l.2. § pe. de don. int. vi. & vxo. *impendere*, vel, mutata etiam littera prima, *ampendere* [n]. AN, & AM scilicet pro *eam*, vt EM vel IM pro *eum*, dicebant veteres. EM vel IM pro *eam*, quod sciam, (inquit Giphanius) equidem nunquam, nec, vt puto, AN. quod vltimum dicit contra Cuiacium [o]. Cuiacius etiam, quod alibi malé quidam ex duabus particulis *vel vt* vnam fecerunt [p]. Alii in l. si noxali. de pecul. dispescunt *indebitum*, & faciũt *in debitũ*. Et alii alia sic. Et sic incurrunt de libris istis nostris

[l] *Alb.* 3. *Lect.* 2.

[m] *Rau.* 5. *var.* 5.

[n] *Giph. Lucr. item Lamb. & Cuia.* 3. *obs.* 38.

[o] *Cuiac.* 4. *obs.* 34.

[p] *Taurel. contra quem Lescur. Afr.*

Floretinis fallaciæ accẽtus, compositionis, & diuisionis, aliæq;, de quib. tu legis apud Aristotelẽ. & de quibus extra quoq; Florentinã scripturam monuit nos Euerardus. quem adieris in præambulo supradicto. [p] Cæterùm & alia supersunt, quæ notes ad scripturam Florentinam. Illic sępius coalescit in vnam syllaba postrema præcedentis dictionis, & sequentis prima, quũ sunt eadem, quæ sunt disiungendæ. Ecce ita in l. 9. de tri. leg. legis, nunc, *ex pane confici* zythum. [q] at Cuiacius disiungit, ac legit, *ex paneco confici.* quia inauditum, ex pane zythum confici. Ego tibi dicebam ad illud Virgilii de Scythis, [r] *Et pocula læti fermento, atq; acidis imitantur vitea sorbis*, de frugibus variis, ex quibus zythum conficeretur. [s] quas notauit Hadrianus Iunius. & certè non dixi de pane, nisi hoc vnum, [t] quod panis nomen de omni massa dicitur; de omni massa in aliquam similitudinem panis coacta, non de pane, quem vulgariter nominamus, & quo vescimur

p Briss. Parerg. fi.

q Cuia. 2. Obs. 30.

r Virg. Georg. 3.

s Iun. 2. animad. 12.

t Casaub. Suet. 6.

mur quotidiano. in similitudinem etiam panis minutuli. quemadmodum frequens est legere in libris medicorum. Et sic igitur dico tibi nunc, posse ex scriptura Florentina respondere pro Socino, legente in l. 81. si socius pro filia. pro soc. *& si fortè*, &c. retrahendo illam copulam ex præcedente verbo *deberet*. itaque dispelles, [u] quod contra Socinum mouet Alciatus, quod omnes codices tam manuscripti, quàm impressi absque copula, eodem ductu sermonis cum præcedentibus, habeant, *si fortè*. Est verò variaque isthic obseruatio. Nam aliquando facienda repetitio est ordine quoque litterarum immutato. vt quum habes sæpe *sentias, sentiarum*, & legere habes *sententias, sententiarum*. Scilicet non in fine tantùm dictionum hoc est, sed & in medio. Et ita Taurellus adnotat scriptum, *cuiusus*, & legendum *cui iussus*. Et in aliis auctoribus sic. in Apuleio Stewichius sic, *quamquam valido*, etiam

[u] *Alc.* 8. *cons.* 40.

mutata littera, & ſenſu contrario inducto, legit, *quamquam inualido.* item *contumacem reuerenter*, pro *cõtumacem inreuerenter*. Sic alia [x]. Legeris apud Auguſtinum & de pudendis tricis ex eo, quod cùm in Florentino ſcriptum ſit *velle* pro *bellè*, nec id fuerit intellectum, malè aduerbium quaſi verbum Accurſius voluerit interpretari. Idem alia per ſuos illos libros. quos hîc tibi fontes indicaui. Neque enim eſt neceſſe, ſingula conſectari.

[x] *Aug. 1. em. 9.*

De mutatis in autographo Florentino. Cap. IIII.

ET nonnihil eſt tamen, quod adhuc audias de iſto libro Florentino. in eo eſt diple, nota diſtinguens verba legum, prætorum, principum, & primorum auctorum. quæ pleriſq; in locis omiſſa malè à Taurello eſt. [y] vt Cõtius notat benè. Et quod malè itidem Taurellus confundit aliquando verba legis, & iuriſconſulti, eadem diple non obſeruata. veluti in

[y] *Cont. ep. ad lect. ante Pand.*

l.37. de op. lib. vbi verbum vltimum legis eſt DEBETO. [z] malè autẽ Taurelli, ipſius Contii, aliorum plura ſequuntur itidẽ tamquam legis. Malè idem Taurellus, quod aliaq; immutauit in illis libris. Sed in aliis hoc malè minus, quod & indicem appoſuit immutatorum, vt ſic poſſimus ſemper in illis recurrere ad ipſum archetypum. At vbi mutata, vel omiſſa neſcimus, magnam iniuriam à Taurello accipimus: qui cogimur ab eo accipere veluti de archetypo, quod archetypi forte non eſt. Ecce, niſi Auguſtinus nos monuiſſet, ſic cogeremur accipere velut legis, quæ non ſunt legis, in d.l.37. [a] Quædam de veteri ratione loquendi etiam mutata notat Cuiacius. in quibus tamen Cuiacio non aſſenſerim facilè, etſi eadem ante citaui pro exemplo. nec enim ſimul dicta omnia exemplorum adprobamus. nec exiſtimo, iuriſconſultos noſtros voluiſſe loqui linguam, quam caſci illi loquebantur, & AN pro *eam* dixiſſe, & EM pro

[z] *Aug de leg.* Iulia, *de mar. ord.*

[a] *Cuia. d. 3. obſ. 38. & l. 26. de vſurp.*

eum, & id genus alia desita; imo sita, nec resumta nisi iam iam moriẽte, & præ senio veluti redeunte in suam illam infantiam Latinitate. Taurello isthic assentior; adnotanti de librarii lapsu. [b] Ceterùm tu & patrui tui ad Taurellum hîc scripta leges quædam in Parergorum libris. Ego aliud nunc noto de additis, quæ sunt, aut dicuntur addita Digestis. Nec intelligo de Tribonianeis. qualis dicitur l. 2. de iniu. te. l. cum de indebito. de prob. l. 2. §. vlt. de senat. l. 25. de inoff. testa. [d] *Multæ glossæ in multis locis dicunt; quod additum Digestis secundùm iura Codicis à compilatoribus.* [e] Imò etiam secundùm iura Nouellarum, & iisdem verbis fermè. Quod probare possim, si non intelligitur quasi de Nouellis editis, at de eo iure, quod Tribonianus cogitabat, & post edidit etiam in Nouellis. Alioqui dixi, Nouellas editas postque repetitæ Codicem prælectionis. Sic & quæ de iure Codicis [f] dicuntur in Digestis, esse de iure meditato Tribonia-

[b] Scip. 1. par. 7.

[b] Rom cons. 179. Cuia. 21. Obs. 26. Baldui. d. §. vlt. idem lib. 1. Insti.

[d] Alex. l. Lucius, de vulg.

[e] Cuiac. no. prio Inst. procem. & Nou. 22.

[f] Soc. iu. rub. de V. O. & l. 1. de leg. 1.

bonia-

boniani, aut etiam de edito priorum imperatorum. [g] Hæc porrò ius sunt, quæ addita à compilatoribus sunt. Sed & alia quædam addita dicuntur. Et quædam rursus in Pandectis ipsis sunt, at notantur pro deletis, [h] etiam integra capita. [i] Quæ Alciatus adhuc vult déque ipsis haberi Pandectis. [k] Et Mantica dicit, Iasonem alicubi vitio scriptorum citare aliam legem vltimam illius tituli. Sed imò citata Iasoni vltima ea est vltima, si aliæ duę delendę sunt. [l] Sed & dicuntur addita quædam ab Irnerio, glossatore primo: & hoc asserit Vrspergensis testimonio Cuiacius. Quæ sanè ius nõ sint. Attamen nihil ad Florentinos libros ostendi potest huiusmodi. cũ vixerit Irnerius post libros illos repertos: qui talesq; fuerint ante, quales nunc sint. Et scio tamen comparere adiecta Florentinis nonnulla, de quibus & Taurellus admonuit: ceterùm eadem esse etiam à manu antiqui librarii. In edi-

[g] Const. tantà.
[h] l. pe. & vlt. de prob. Taurel.
[i] Alc. 1. disp. 6.
[k] Mant. 1. de con. vlt. vol. 1.
[l] Hott. 2. Obs 4. & lib. 3. c. 5. l. 5. c. 27 lib. 9. c. 7. Cuia. 21. c. 25.

tione Plantiniana Ludouici Russardi, ad finem præstationis Taurelli, hæc legis: *Accessit his, (ne quid te lateat, lector) vt quod his notis || || inclusum reperies hoc in toto iuris corpore, illud ipsum nunc primùm additum esse, vltra quàm in Pandectis Florentinis, aut aliis hactenus legebantur, recognoscas.* Sed imò eadem in Florentinis ipsis Taurelli leguntur eadem. Illa manifestò sunt addita, quæ in editione Godofredi legũtur expressa diuersis typis: quatuor leges in tit. de bo. damn. decem in tit. de int. & releg. [m] De quibus & adfirmat Cuiacius; & quod Pandectæ Florentinæ imperfectæ; & quod desiderẽtur tribus, aut quatuor locis multa, quæ sint in Basilicis conseruata. Adfert autem etiam argumentum Cuiacius imperfectionis illic Pãdectarum, quòd in archetypo relictum est spatium, & in spatio adiectum signum est, quo demõstratur, indigere spacium illud repletione. Tu tamen istud spatium, ac signum in editione Taurelli non habes.

[m] Cuia. l. 41. de V. O.

habes. At habes vtrunque in editione Contii: [n] qui & Taurellum, & Augustinum testes pro vtroque citat. Quod itaque etsi verum esset, adhuc superest quæstio, si ea Cuiacii, Contii, Gothofredi, addita de Basilicis ea sint, quæ desiderantur. item, si ius sint. Aut quid si aliunde addita alia sint? [o] Nam de Parisiensi typographo, qui per omnem falsitatem addidit paragraphũ quendam, expedita res est. Sed postea dicam & de Basilicis, & de omnibus veterum fragmentis. Illud nunc, non oportuisse vel diuersis typis reponere in ipsum contextum hæc, quæ de Basilicis, aut aliunde supplentur. [p] vt de suppletis ad Decretales notat cõtra Contium prudenter Ant. Augustinus. Quæ satis. Nisi illud sit addendum tibi, quod certum est, & notum omnibus, vulgaribus editionibus deesse sæpe Græca verba, item leges, quæ in Florentinis sunt. [q] Notat aliquid etiam Alciatus in Dispunctionibus,

n *Cont. d. ep. an. Pa.*

o *Alc. 6. pare. 9.*

p *Aug. præf. in vet. coll. Decretal.*

q *Alc. 2. disp. 2.*

De Institutionibus. Cap. V.

SEquuntur Institutiones. Ad quas memini notatum à Siluestro Aldobrandino, quod in procœmio nihil statuatur iuris, nisi illud vnum, quod iuris robur tribuitur ipsis Institutionibus. Ceterùm id alio fortassis spectat. nunc enim quærimus solùm de ipsius scriptis iuris Iustinianici, & de partibus eius. Aliò etiam spectat item disputatio de illis locis Institutionum, in quibus indicatur nonnihil, quod in Codice sit, & ad Codicem de eo remittimur, & quod nunc in Codice non apparet: an statuendum ius sit ex ipsis locis Institutionum. Et isthic tamen aliquid dico. In eo dico, quod de incertis personis est in titulo de legatis. Et primùm occurrit, quod solet ad rubricas tractari, si eæ ius faciunt. [r] Vbi distinguitur, an perfectam, vel imperfectam habeant orationem. [s] Rubrica etiam generalis habens orationem

[r] *DD. l. 1. si cer. pet.*

[s] *Viu. com. opi statuti rubrica.*

tionem perfectam nec restringi per nigrum, Castrensis opinio, & communis habetur. quam & fortissimis, & nouis fundamentis Rainaldus Rodulphus confirmauit, eloquentissimus iurisconsultorum, & acutissimus. vt sic de meo doctore, & suo Viuius habet. Sunt autem illi loci Institutionum quasi rubricæ, & indices locorum Codicis:[t] *quod euidenter ex ipsius constitutionis lectione clarescit*: locus ait Institutionum de legato relicto personæ incertæ: appellans ad legem Codicis. Et locus non satis explicat rem. Et Bartolus, qui legari hodie posse incertis censet, ab articulo *olim* mouetur sic, quod si *olim* concessum non erat illis legare, vt dicit textus, ergo hodie concessũ intelligatur.[u] Tu videris in quęstione Mãticam. Ad rubricas verò etiam illud, eas disponere, quoties textus integer non exstat. vt in plerisque Codicis titulis, quibus subiecerat Gręcas leges Iustinianus, quæ hodie

[t] *§ incertis. Inst, de lega.*

[u] *Mant. 8. de co. vlt, vol. 4.*

vix reperiuntur. Cùm enim verisimile sit, concordasse rubricam cum textu, probabiliter ex rubrica coniicimus, quid in textu quoque fuerit [x]. quæ Alciatus scribit. Alterũ omnino vacat hîc, si quæ habent orationẽ perfectam, adhuc tamen ius nõ probent [y]. quemadmodum si in aliquo documento mentio alterius sit, nisi & hoc alterum profertur, nihil ex illo conficitur [z]. Et quemadmodũ testis, qui alios nominat sibi contestes, nec quicquam probat, si illi alii nominati dicunt, se nihil scire. quæ est communis opinio doctorum. vacant omnia eiusmodi hîc. nam potenti facere legem, eidem certè credetur dicenti de lege facta, &c [a]. de quibus Socinus, & alii. Illud dispiciendum fuerit potius, an casu perierint ea omnia de secundo Codice, aut relata in ipsum non sint cum secunda compilatione. Sic enim perierunt casu, nihil sanè nocet, atque dicendum est securè [b], *Quam constitutionẽ in suo robore permanere censemus:*

x Alc. d. l. 1. si cer. pe.

y Auth. si quis. C. de eden. vbi doct.

z Eug. 1. cons. 8.

a Soc. d. Auth. si quis.

b l. vlt. C. de leg. in st.

cum

cùm etiam nostris institutionibus tenor eius à nobis relatus sit. Et hoc de casu credēdum est, quia nec mutatio voluntatis, nec legis abrogatio credenda est. Quod si autem dedita opera de nouo hoc Codice reiecta sunt ista: nulla ratio est, vt ius eorum de institutionibus capiamus. Aut sit imò ratio capiendi de Institutionib. ius, ne itidem dicamus correctum ius: cùm dicere ad reiectionem possimus, eam esse factam, ne quid superfluum haberetur. quod vtiq; haberetur, si idem in Institutionibus, & in Codice haberetur. Et hoc mihi placet magis. Si igitur hæc non adsit ratio, aut alia, quæ doceat, ex reiectione de loco aliquo non concludi ad omnem reiectionem, tum reiectio sit abrogatio omnino. [c] Et ita ad veteres decretales dico alibi, & dicam in Disputatione de libris iuris canonici. Superest autem vnum ad Institutiones: an, quod alibi præterea nō reperitur, nisi in ipsis Institutionib⁹, id retinendum adhuc sit, vel de libris

[c] *Alb. 6. de nup. vlt.*

illis quoque deiiciendum? Et ridenda merito fuerit hæc quæstio tamen, [d] nisi recentiores interpretes audaculi reiicerent, quæ nec apud alium sunt, nec apud Theophilum, vt ita ad eundem titulum de legatis expungunt de legati definitione verba illa, *ab herede præstanda*. At verò esse plura in Institutionibus, quæ sint nusquam alibi Cuiacius per proprium huic rei indicem exposuit in posterioribus adnotationibus. Etiam hæc ipsa verba defendit is, quasi tradita nobis per manus à maioribus. vt audisti disputantem me ad rub. de leg. 1. Porrò autem Theophilus, licèt explicet plerunque eos libros latius, tamen & angustius aliquando & hoc idem fecerit, certè non est vbique fidelis.

[d] Alb. 1. Lect. 15.

De Codice. Cap. VI.

NVnc imus ad Codicem, cuius libri quoniam nõ habemus certũ exẽplar, vt habemus Digestorũ, maior & orietur ad eum dubitatio, si recipi in ipsũ debeant, quæ in vulgatis

nullis libris olim exſtabant, nunc verò aut ex Codice Theodoſiano, aut aliter inſeruntur.[e] Pœna falſi ſtatuitur addentibus. [f] Alciatus, duas leges additas notauit, atq; vnam earum omnino reiecit. eſt l. 2. de fer. quæ & nunc eſt in libris (opinor) omnibus. Alteram habet ſuſpectam, ſed retinet tamen. eſt l. 9. de op. lib. [g] Porrò autē Contius latè ſcribit cōtra iſtos, quos & nebulones appellat, qui ex Codice Theodoſiano infarciūt, ac emēdāt. [h] Et Codex ille Alarici potiùs, quàm Theodoſii, atque mēdoſus valde dicitur, quod & à me alibi. Verum tamen eſt, Græcas olim conſtitutiones multas defuiſſe: quæ nunc opera Auguſtini, Cuiacii, Contii habentur: quæq; non reiicientur facilè, cùm & ipſi gloſſatores dicant defuiſſe. Sed quot tamen iſtæ ſunt? [i] *Codicem ſanè plusquàm centum quinquaginta Græcis conſtitutionibus ſuppleuimus:* ipſe Contius ſcripſit. Et nec finis tamen cum his eſt. Aliæ pòſt prodierunt. Et incertum eſt, ſi erit

e *C. de Iur. Co. co.*

f *Alc. Pare. 9.*

g *Cont. præf. Cod.*

h *Alc. 2. Pare. 26. Duar. de dot. c. 4.*

i *Cont. præf. Pand.*

vmquam, vt dici possit, perfectum esse Codicem, nec in ipso quid amplius desiderari.[k] *Edemus aliquando omnes constitutiones Græcas, quæ desiderantur in Codice:* Cuiacius ait. Cæterũ quia illę vndique conquiruntur, etiam ex librorum inuolucris à Cuiacio, quî poterit adfirmari de omnibus tandem editis? Hoc autem ego moneo, vt intelligas tu, temere excipiendas eas non esse constitutiones, quæ apocryphæ sanè sunt. Sanè ius certum non sunt, vt reliquæ, quæ olim habitæ sunt in vulgatis libris. Esto etiam Latinæ quædam non in omnibus libris fuerint:[l] Vt ita audis Accursii aliquando testimonium: an tu propterea credes, immanem illum defuisse numerum? Etiam quî tu certus fueris, eas ipsas esse, quas Cuiacius, & alii tradunt? Dic igitur, vnde tradunt? Dic, quomodo tradunt?[m] Certe Cōtius inquit, *Pessimè mihi videntur de nobis omnibus mereri, qui, cùm Græca habeāt vel Basilicōn, vel Nomocanonis exemplaria, & cætera ad ius*

[k] *Cuia. nou.* 6.

[l] *Acc. l. si plures. de cond. inser.*

[m] *Cont. ad tit. de inc. Ien.*

ad ius pertinentia, suppressis Græcis suas futiles, & indoctas translationes duntaxat edunt, quo minus eorũ fœdissima pleraque peccata ex Græcorũ collatione coargui possint. Sed etsi libri Basilicôn, aut alii sic habẽt illas cõstitutiones, vt ipsę nũc nobis referũtur: an statim erit, vt acceptæ, quæ sint de Codice Iustinianeo, quem habemus? An ita acceptę, vt illic erant.[a] Nunc videris de Basilicis, & Nomocanone Cuiacium in obseruationibus. Et hoc habe, additarum constitutionum nõ adeo certam esse auctoritatem, quin non reiici possint aut ob hanc caussam semper, quod ab vsu pẽdet omnium istarum legum auctoritas nunc, atque apocryphæ nõdum receptæ vsu sunt: non citatæ à doctoribus, non diu habitæ in reliquarum corpore, vix cognitæ. Sed & Iustinianus mutauit in scriptis priorum. & Leo, compilator Basilicôn, multus in iisdem mutationibus fuit. etiam epitomator fuit, vt minus excipiamus scripta eius veluti Iustiniani. Et hæc generaliter. Neque enim volo de singulis illis addi-

[a] *Cuia. 6. obs. 9.*

[o] Hot. I. amic. I.

tis nũc differere.[o] De vna Latina est acris contentio, si non supposititia sit. dico l. inter claras. C. de su. tri. de qua & theologi pugnant. Per Græcas verò & tituli nunc plures fiunt, quàm erant, non solùm augentur, qui erant. Est titulus nunc *de aleatoribus, & alearum lusu*, qui pars antea fuit tituli sequentis, *de religiosis*. Sanè est licentia intoleranda, quæ confundit omnia scripta veterum. hæc de legibus.[p] At de particulis illis adsutis ad leges Codicis, scribit Baldus, iussu Friderici imperatoris illas assutas, quæ sunt ipsius Friderici. At quæ sunt aliæ plures, eæ de volumine Nouellarũ Iustiniani habẽtur. Et factum istud priuatum fuit Irnerii. vt post Accursium tenent omnes. olim enim tribuebatur antiquiori. quod Fichardus in vitis recẽtiorum iurisc̃osultorum notat. Non sunt igitur leges: cuiuscuius priuati hominis factum hoc est. Et igitur ab ipsis recurrendum est ad fontem, à quo, siue Græco, siue Latino, deuiant

[p] Bal. prælu. feud.

ant sæpe. [q] & ità receptum omnibus est. [r] Aliquando & verbis paucis referunt, quod verbosiùs per plures columnas est traditum in fonte. vt sic aliquando notat Iason. Aliquando verba omnia ferè mutantur. Ecce, Auth. *idem*. de hæret. qualis est aliter in fonte? in fonte nec verbũ est *restituo*, de quo doctores documentum tradunt tamen. & contra quod disputat alibi idem Iason. [s] Aliquando sic & addunt verbum aliud. verbum *expresse* in Auth. hoc ita. de duo. re. & ab Aretino refutatur velut factum Irnerij. Verbum *personali* in curtatissima aliàs Auth. quo iure. qui po. in pign. hab. vbi Accursius, Salycetus, alii notant: sed & defendunt. Sæpissimè recurrendum est ad fontem pro interpretatione. [t] Ecce, an Auth. præterea. vn. vir, & vx. procedat etiam condito testamẽto, potest negari, nisi ad fontem recurritur. [u] An testamentum, in quo filius est exhæredatus sine causa, nullum sit ipso iure, etiam recurritur ad fon-

[q] *Alb. l. 8. de inoff. te. Imo. l. 1. de testam. Alex. l. 2. sol. mat. Clar. § fi. q. 78. Cott. me. de iurisp. Hot. ill. q. 14.*
[r] *Ias. Auth. hoc ampl. de fideic. l. 3. de const. prin.*
[s] *Aret. l. 2. de duo. re.*
[t] *Flor. cons. 21.*
[u] *Imo. d. l. 1.*

tem. Et plurima ſic ſunt. Eædem verò particulę neq; habuerunt certum locum ſemper. Nam Auth. quemadmodum. de al. lib. citabatur vtiq;, quę eſt Auth. ſi pater. de diuor.[x] & vt, ſic ſe habuiſſe, nõ in altero titulo, teſtatur Iohannes Andreæ. Suo loco aliquando mota, alieno inſerta temere, ſcribit Balduinus in fine Iuſtiniani ſui: & exemplum vnum adfert. Sed certè in exemplo illo ipſe loquitur temere.

x *Io. A. c. ſ. de eo. qui du. in ma. q. p. p. a.*

Verùm quæſtiones ſæpe occurrunt ad priorẽ partem, ſi in ipſo corpore Nouellarum ſic eſt, vt legitur in iſtis particulis.[y] Audi, ecce, Baldum, qui ſcribit, conſuluiſſe ſe, quod textus Auth. bona damnatorum. de bo. pro. ſit verus textus etiam in illo verbo *& ex latere.* & quod idem dicunt Butrigarius, & Cynus: licèt Iacobus de Beluiſo dicat imò litteram illam falſam. Quid hæremus cum interpretibus? Nouella 134. vnde ſumpta eſt illa Authentica, non loquitur ex latere. Falſus eſt Baldus, quantum perti-

y *Bald l. 2. C. qui te. fa. po.*

pertinet ad verba textus. Nam si & ex latere veniant etiã vel ex sententia ei⁹ nouellę vel aliũde, quęstio alia est: de qua idẽ Bald⁹, & alii. Et sic alia plura sunt. Etiã decisionẽ principis aliquãdo desiderãt dubitationes ad Nouellas.[a] Velut, si Auth. ex caussa. de lib. præt. procedat in p̃tẽtione cũ causa. Sed ad eandẽ Nouellã 134. etiã aduerte, & in Codice, & in corpore omissa plura ab interprete vetere, quæ retulit Haloander. Atque is eo in loco fideliùs est versatus. Sed & in nonnullo alio sanè. Ne istum tu infra illum veterem habeas semper. At de interpretatione nunc non dico. Turbant autem hîc quoque recentiores, qui eas particulas auferunt vndiq; è locis, vbi assutæ erant.[a] Atque illud tandem scito ad Codicem, esse recentiores, qui leges eius plurimas versas de Græco in Latinũ censent. Bodinus is est.[b] Contra quem isthic scribit Cuiacius. cui idem Bodinus in alia editione suorum librorum respondet eodem loco. Tu tene

[a] Cast. l. in de legi.

[a] Bod. 3. de rep. 6.

[b] Cuia. 18. Obs. 38.

semper, eas ius esse, quas vsus suscepit, & adprobauit longus.

De nomine, numero, ordine Nouellarum. Cap. VI.

Agam de ipso volumine Nouellarum. Quę ita proculdubio appellantur, nō Authēticum. [c] Gratianus Constitutiones nouas appellat. Sed νεάρχι nouellę sunt, magis quàm nouę. Et sic interpretes ius appellant nouissimū. [d] Hoc aūt Authentici nomen auditū, & acceptū Irnerio, [e] idē dedit occasionē credēdi, nō esse ipsū opus Iustiniani, qui futuras leges, si quas post Codicē cōdidisset, Nouellas se eas promiserat nominaturū, vt apud alios legere est. qui & alia argumenta habent contra istū librū. Sed tamen vanissima sunt omnia. Quidā negant Iustiniani propter diuersum stilū. Quā ego diuersitatē nego. Sed respondet Baldus, quod etsi diuersitas stili generet ambiguitatē, vbi claritas per aliud non apparet: vbi tamē hæc claritas apparet, ibi nihil eā curemus

c c. 20. dist. 54.

d Acc. Alb. Bal. C. de am. Co. Iu. itē Cy. Bar. l. 8. C. de legi.

remus diuersitatẽ. Vanissima hęc tôta est quæstio. Et Iustiniani opus pro certo est. [e] Quidquid & Floridus nouissimè, ꝙ de Authenticorũ iure inter eruditos vehementer ambigitur: licèt in nostrũ ius clanculũ irrepserint. Nomẽ aũt Authẽtici est postumũ. [f] Et dicebãt qdã, quia extractũ esset de opere alio, & esset in ius exceptũ; cũ pri⁹ illud aliud nõ faceret ius; atq; hoc nũcupatũ ita esset Authẽticũ ad differentiã illius nõ áuthẽtici. Et hæc tamẽ etiã nugæ sunt. & quidẽ pares iis, quę sunt de nominib. Digestorum illis, Veteris, Infortiati, Noui, & quas tractãt [g] doctores tamẽ: cum quib. & rapitur patruus tuus, sed adolescens. Ridiculum, quod ea triplex partitio fuerit à iuriscõsultis, refutat Socinus. & quod priùs, quàm inciperet ius glossari, diuidebantur Digesta in volumina duo: & incipiebat secundum circa finẽ l. quærebatur. ad l. Falc. vbi glossa nótat: & vbi in memoriam adhuc ponitur littera magna in editionib. quibusdã. quod

[e] Florid. de in. ci. int.

[f] Cãp. Auth. sed novo, de sir. fug. Rebuff. l. 30. de V. S.

[g] Dd. rub. sol. mat. Sot. rub. de no: op. nu. Alc. 4. parc. 25: Cont. praf. Pand: Scip. 1. par. 36.

h Alc. 2. pa- re 46. Co- uar. pr. q. 9.

i Alb. de em. Co. Iu.

k Alc. l. 84. de adq. her. Decia. 1. cons. 2.

l Cuia. nou. 66.

& Contius retulit. [h] Authenticum dicitur Latina vetus versio, quæ ad verbum facta habetur: & itaque authentica dici meruit præ aliis, quæ licentiores sunt.[i] Diuiditur autẽ hodie opus in collationes nouem. olim in tres diuidebatur. Quæ diuisio nec est Nouellarum. Et decima collatio, & vndecima nunc est. de quibus dico mox. De numero, & ordine nunc huius operis. quoniam & de his quæritur ad constitutionem iuris. Communiter autem, id est, quæ glossatæ habentur, eæ sunt octo & nonaginta. Verùm Iulianus, qui statim à Iustiniano vixit, epitomas fecit centum & vigintiquinque. [k] Et ex Græco libro, & ex Haloandri editione citantur aliæ à plurimis hodie. Florentiæ esse Græcum illum librũ dicit Alciatus, atq; de eo citat Nou. 158. Haloandrinæ sunt centum & sexagintaquinque: illis in numerum adsũtis, quas ipse Haloãder dicit desiderari: & quas alii aliunde supplẽt. [l] Etiam superaddit Cuiacius tres. &

is im-

is imperitos, indociles, incredulos vocat, qui volunt, ius esse solùm primas illas pauculas. [m] Adde autem hæc Contii: *Centum sexagintaocto Nouellas, nec plures, nec pauciores numerari, consentiunt omnes. Sed Matthæus Monachus scripsit, Iustinianum centum & septuaginta constitutiones condidisse. Vnde constat, duas adhuc desiderari. Vt omittam, plerasque relatarum non esse Iustiniani.* Ego verò vel accipiam Monachum veluti loquentem communiter, quum vtuntur scriptores numero rotundato, non notant exquisité. vel non faciam hominem tanti, qui & dixit, Digesta bis edita à Iustiniano: [n] & contra quem Cuiacius in hoc scribit. Certè non faciam tanti Monachum, quanti Iulianum antecessorem Constantinopolitanum: qui & vixit non longè ab æuo Iustiniani: & quem noluisse omnes Nouellas interpretari, mihi verisimile non sit. Ergo nec plures centum viginti quinque exciperem velut de Iustiniano. Hoc primum. In ius cer-

[m] *Cont. in fi. in d. Nou.*

[n] *Cuia. præf. pa. Cod.*

tum non acciperem nisi illas nonaginta octo. quoniam hæ leges non tenent nos aliter, quam quia receptæ sunt vsu. Aut si alias illas Iustiniani veras recipimus in ius, & quæ insequuntur aliorum sequentium: cur non & reliquum ius Orientale, & ipsæ quoque nouellæ Leonis Philosophi recipiuntur?[o] Hæ nec ipso viuo Leone valuerunt: quia vsu receptæ non fuerunt. Non eæ nos teneant igitur vel ipsius Nouellæ certæ Iustiniani, quæ vsu receptæ non sunt adhuc. Hoc secundum. Et receptas dixi solas illas glossatas.[r] De quo & patruus tuus alicubi. Nec nego tamen inualescere etiam autoritatē aliarum: quas & vetus interpres transtulit, & (quod dixi) citant hodie plurimi. Tres Cuiacii & imperfectas, & nunc primum visas statuo nullo in numero: Etiam distinguendum de illis videtur, quæ exstant solùm Latinæ. & glossatæ ius sint: quoniam vsu receptæ sint.[p] Diu obseruata lex auctoritatē iam tenet item glossata per doctorem

[o] Cuia. 17. Obs. 31.

[r] Scip. 3. de don. vlt.

[p] Not. c. 8. de gl. instr.

ctorem famosum. Alioqui suspectæ per se sunt nõnullæ:[q] Vt quæ de præscriptione centum annorum est ad fauorẽ Romanę ecclesiæ.quod Duarenus.Quod si Latinę istę nec glossatæ sunt,eædem nec ius sint: siue sunt ex epitoma Iuliani , siue aliunde. Nã epitoma Iuliani ius non est sanè: [r] Etsi probatur valde. [s] Etsi etiam quidam antiquiores voluerint, & ius esse. Etiam Castrensis (audiente & testante Cæpolla) dicebat,quod ego de Nouellis accipio Iuliani, librum extractum ex authentico,& breuem esse,& ipso Authentico clariorẽ.Accipio de iisdem Iuliani Accursiũ, qui sæpe in Authentico citat Nouellas, etiã eiusdẽ tituli, qui in Authentico est. Et qui adnotat,in illis aliquando plus, & aliquãdo minꝰ esse, quã est in Authentico:etiã & cõtra esse aliquãdo.Sed hoc verum non videtur.Imo enim ipse Accursius contra exposuerit , deceptus fortè à veteri versione, cõtrà quã textus illę voluerit.

[q] Duar. 1. de min. x.

[r] Alc. 2. par. 46.

[s] Alb. de em. Co. Iu.

quẽ Iulianus percepit meliùs Græcũ homo Græcus doctissimus. Ecce tibi exemplũ. [t] Non purgari ingratitudinẽ per ingressum religionis, tradit Accursius, & Bartolus, & nonnemo alius. atque addit Accursius, *sed in nouellis contra. dicitur enim, quod purgatur ingratitudo per ingressum*. Respicit nouellas Iuliani, in quibus id dicitur, & id est ipsius Iustiniani sensus certissimus; qui Iuliano relatus, excerptus Harmenopulo, expressus Haloandro est. ὡς ἀχαρίστους ἀποκλείειν τῆς ἰδίας κληρονομίας, ὑπὲρ αἰτίας περὶ τοῦ μοναχικοῦ βίου παρακελευθησάσης. [u] Harmenopulus autẽ, μονάζοντες πατέρες ἢ παῖδες οὐκ ἐκβάλλονται τῆς κληρονομίας, δι' αἰτίαν γενομένην περὶ τοῦ καρῆναι τούτους εἰς μοναχούς. Verba verò veteris interpretis sic sunt obscura, vt tu non intelligas liquidò, si negetur causa exhęredationis iusta, quòd filius ingressus sit monasteriũ: an negetur, illum posse exheredari, qui sit monasteriũ ingressus, & qui antea exheredari potuisset. Et hic sanè, vbi non satis clara versio

[t] *Acc. Bar. in Auth. de mona. item, de sanct. episc.*

[u] *Harm. 5. tit. 9. §. 70.*

illa

illa eſt, omnis ratio vult, ad Græcum textum recurri pro interpretatione. [x] Iuliani porrò epitomā veriſſimam ſecutus & Gratianus eſt, atque, nihil mutato, tranſtulit in Decretum. [y] Vbi itidem accuſatur Gratianus malè, quaſi ea ſententia Nouellæ nō ſit, & nec Iuliani. ſuſpectusq́; ſit Gratianus monachus in cauſa monachorū cum illo dicto, quod per ingreſſum monaſterii deleatur ingratitudo. [z] Coſta defendit Gratianum, accuſat veterem interpretē, item Couarruuias. Miror ego eos, qui negarunt, aut apud Iulianum eſſe illam ſententiam. cū & ipſiſſima verba ſint Iuliani, mihi conſt. 115. c. 62. Gregorianis autē, idē de Iuliano ſubnotātibus ad Gratianū, Nou. 123. c. 59. Quæ ſatis hîc. Diximus, Iuliani nouellas ius nō eſſe: etſi de illis tamquam de legib. citetur ius ſæpe. Addunt in id recētiores, multa illic ἐκφραστικῶς, quædam μεταφραστικῶς, plura etſi ſint κατὰ πόδας. Nouellas autem alias aliunde excipere, nulla cauſa eſt. [a] *Reperi in quodā*

[x] *c. vlt.* 19. *q.* 3.

[y] *Alc.* 4. *Parerg.* 23.

[z] *Coſta* §. *Sed quid ſi tantùm p.* 4. *nu.* 198. *Cou.* 2. *de ſp.* 7. §. 4.

[a] *Cōt. neu.* 16.

veteri libro manuſcripto: inquit alicubi Contius. Et is nec ſemel eum manuſcriptum appellat. Iſtæ profectò nec dũ receptæ ſunt, quæ ab vno priuato nunc primùm prodierunt. Grecę quę ſunt aut in libro illo Florentino, aut à Scrimgero diligentiſſimo collectæ, itidem Latinæ publicæ illiusdem libri, eæ omnes incipiunt (vt dixi) mereri iuris nomẽ.[b] etſi de omnibus extra gloſſatas fuerit olim diſceptatum. Fuit & de libro nouellarum Iuliani diſceptatum. de quo nũc audiſti, fuiſſe partes eorum veriſſimas, qui libro auctoritatem iuris denegarunt. Latinas nouellas, quas dixi, tenuerũt veteres interpretes nec gloſſatas.[c] vt de Alberico notat idẽ Contius. Et nõ gloſſatas tamen gloſſator appellat extraordinarias.[d] *dicit quadã authentica extraordinaria*, &c. & intelligit de 133. quæ & Græca, & Latina exſtat tamen, ſed non gloſſata. [e] Albericus, qui dicit, ſe habuiſſe librum Nouellarum, & negat, ſe inueniſſe caſum quendam in Nouellis, notatum

b *Cap. & Rebuff. vt ſ.*

c *Cont. nou. 101.*

d *Gloſſ. in Auth. de ſa. ep. §. nullam.*

e *Alb. de com. Co. Iu.*

tum à gloſſa alicubi, non excuſabitur, cùm ſit ille caſus apud Iulianum, in Conſtitutione decima, & in Nouella quadrageſima ſecunda, etſi nō ſit in gloſſatis.[f] De eo Angelus ſcribit ſic, *Hunc caſum dicunt doctores, ſe nūc inueniſſe in libro Nouellarū.*[g] Quod porrò multa ſæpe apud Haloandrum ſint, quæ nullibi ſunt prætereà, id nec notandum eſt. Sic ſcilicet & alia inuicem variant exemplaria multum. vt id vel ex adnotatis Duareni ad editionem Haloandri vides. Etiam Haloander aliquando de ſecutis Græcis, Leone, aut aliis addit, quod in textu Græco Iuſtiniani non eſt.[h] vt vnum notat Cuiacius alicubi. Vbi Henricum Scrimgerum nominat virū doctiſſimū.[i] apud quem alibi aliquid deeſſe in ſua Nouellarum editione, quod tamen apud omnes alios ſit, ait idē Cuiacius in alio loco. Et intelligit de editione Scrimgeri: quæ ſanè non habēt de iureiurando illic heredis: quo aliæ Græcæ editiones habent. Atque hactenus

f *Ang. Auth. ſed nouo. C. de ſer. fug.*
g *Cont. noua 123.*
h *Cuia. l. 21. de teſtam.*
i *Cuia. nou. ii*

& de numero Nouellarũ, & de hisce in eo opere variantibus. Nunc pauca tibi dico de ordine, & inscriptionibus earum. Et est vtiq; isthic cõfusio magna, vbi nihil constans, nihil certũ cernitur. Aliter in Græco libro sunt, aliter apud Iulianũ, aliter apud Latinos alios: [k] put studiosi sibi pro arbitrio compilarunt. quod Augustinus, Duarenus, Cuiacius habent. [l] *Si quis roget, quis eas collegerit in vnũ volumen, fatebor, mihi notũ non esse hunc rhapsodum. sed simul dicã, farraginẽ esse sine vlla arte congestã. Agathias, auctor bonus, & antiquus, cùm de Tzanis loquitur, & eorũ mẽtionem fieri in nouella prima narrat, librũ τῶν νεαρῶν, Iustiniani proprium esse ait. Sed rem, & materiã potiùs, quàm ipsã συναγωγὴν illi acceptã ferre videtur.* quę Balduinus. [m] Et quod igitur Hotomannus, & Cuiacius alibi, & antea Cedrenus, & Diaconus notare videntur, librũ editum à Iustiniano, id aut sic accipias, vt ad Agathiã distinxit Balduinus, aut habe à verisimili alienum. Sed nec sentit Cedrenus de hoc

[k] *A. 2. em. 9. D. de feu. c. 9. C. nou. 2. & 69. item 20. Obser. 3.*

[l] *Baldui. 4. Insti.*

[m] *H. de orig. iu Inst. C. proœ. Inst. no. pri. P. Diac. ad Eutrop. 18.*

hoc libro Nouellarũ, at de libro Codicis prioris. nã de cõpilatione *veterũ* legum tradit, quę facta anno secũdo Iustiniani sit. *Veteres* (inquit) *omnes leges in vnum volumen redegit. quod Nouellas constitutiones inscripsit.* Et dixerit Cedrenus inscriptũ librum Nouellarum fortean à titulo illic primo *de nouo Codice faciendo.* Verùm auctor ille nunc nobis domi non est, nec laborandum hîc nobis de his est. Ex eo, quód nullus est certus ordo Nouellarum, & hoc apparet, librũ non esse compilatum à Iustiniano; & esse variũ,[n] quod de posterioritate ab ordine quoq; collationum scribũt interpretes vèteres. Etsi verum aliàs est, quod aliquãdo simul scribunt.[o] Cõclusi ex eo nullo ordine ego aliud alibi cõtra Cuiacium. Censui, esse Iustiniani nostri nouellam C X L. & nõ esse illic ius nouissimum Iustiniani tamen, sed in nouella C X V I I. Censui Iustiniani illamq; C X L. quæ subscriptum in Græco autographo habet nomen Iustiniani. Cuiacius tri-

[n] *Aret. l. a. de duo. re.*

[o] *Alb. 5. De nupt. 4.*

buit Iustino iuniori. Cui dicta subscriptio statim repugnat: quæ tenenda, quàm Latina (vbi sanè Iustini nomen) magis est. Ea Latina nec de loco, nec de indictione facit cum Græca: Quid tum si de lege patris ait nouella CLX? De patre Iustiniani ipsius sit. Quid? Iustini iunioris si sit, ea nec ius nouissimum sit, quæ nec ius sit. Ex eo etiam, quod inscriptiones non sunt legislatoris, cessant argumenta interpretum, ab illis inscriptionibus sumpta. [p] quale est, quod, ad inducendum gradum dignitatis supra illustrem, conficiunt ex rubrica, vt ab ill. & qui sup. eam dign. sunt. quæ est nouellæ 71. & quæ rubrica licèt sic est apud veterem interpretem: Græca tamen non habet de superillustribus, & nec Haloander. Atque sic multa esse possunt. Et quia istæ Nouellarum rubricæ non sunt authenticæ, sequitur, vt nec quidquam ad ius faciant: præsertim si (quod aliquando vides) ipsa sola rubrica cõparet. Et quæ tamẽ ius faceret, si authenti-

[p] Dd. l. 1. de off. ei.

thentica esset. [q] vt ita ad nonnullas Codicis, quæ nihil habeant subiectum, Alciatus notat. Et sic alia sequuntur, quæ circa eiusmodi argumenta traduntur. [q] Alc.l.1.§ cc.ps.

De veteri Nouellarum versione.

CAP. VII.

Dixi, versionem Nouellarum veterem dici Authenticum. quæ tamen nō est lex. etsi ea etiam tenenda in dubio est: quoniam vsu recepta est. [r] quæ Alciatus. [s] & quæ de versione Græcorum in Digestis Albericus, quod etsi scilicet ignotus ille auctor versionis Grecorum in Digestis non debeat habere fidem, secundum Azonem: tamen non sit mutanda, cùm seruet eam vsus doctorum, & iudiciorum. Et ad fontem Grecum appellandū videtur tamen. [t] Et ita Alciatus appellat inque libris responsorum. Sed istæ sunt quæstiones duæ: an tenenda in dubio ea versio est: & an recurrendum sit ad Græcum fontem. Atque

[r] Alc.l.1.§. vlt.de V.O.
[s] Albert.1. const. Dig.
[t] Alc. 8. cons. 26.& lib.9. cons.31.58. 66.204.

in priore sic censeas omnino, vt Alciatus admonuit. [u] Adde autem & ista Cuiacii: *Vulgaris translationis propter vetustatem autoritas apud me magna, vel eò maximè; quòd pleraque ex ea Gregorius referat in epistolis.* Sic factam audis versionem circa ætatem ipsius Iustiniani. nam Gregorius nec longè vixit. Itaque sit interpres ille multo antiquior Bulgaro. [x] quod itidem Cuiacius. Eadem verò Balduinus in quarto Iustiniani: eodē Iustiniani tēpore, aut non multo pòstea editā eā Latinam translationem, atq; etiā in Italia lectā. & id apparere ex epistolis Gregorii primi, qui illius verba recitat, proximus seculo Iustiniani. [y] Sed & Bulgari negat versionem in Digestis, ait Berguntionis Pisani Odofredus. Quæ dixi in Catone olim. Et sic igitur in priore quæstione propter vsum, & vetustatem. Et sic idem ad versionem Nouellarum antiquissimam, & ad eorum, quæ in Digestis sunt. De assutis ad Codicem non idē forte: quæ facta Latina ab ipso Irnerio,

[u] Cuiac. 4. Obs. 38. & lib. 8. c. vlt.

[x] Cuia. 3. obs. 36.

[y] Odofr. l. x. de legi.

rio,non accepta de veteri verſione. quod tu videris, [z] & Cuiacius notat. Ego aliquando obſeruaui, vnum quoddam referri à Iuliano aliter, ab Irnerio aliter, à Gratiano aliter, a veteri aliter. Ceterũ nec iſta Irnerii lõgè ſunt à multa auctoritate: quæ & vetuſtatẽ habẽt, & à citatione doctorũ capiunt iam diu vim non mediocrẽ. Vnũ his detraho audenter, quod quæro de veteri interpretatione Nouellarũ, ſi non ſit recurrendũ ad fontes. Nã ab ipſis particulis Irnerii recurrendũ eſt proculdubio ad fontes, & recurritur ſępe: vt audiſti. At à verſione veteri ipſius voluminis an ſit ad fontes Græcos recurrendũ, fortè ſubſtiteris: quicquid affirmet Alciatus. Scilicet vſus fecit authenticã eã verſionem. Et quia de textu ipſius Iuſtiniani Gręco non conſtat ſatis, qui ſit, aut vbi ſit; Cuiacius veterẽ interpretẽ ex alio exemplari Græco feciſſe ſuã interpretationẽ, ſcribit, quod & nemo non videt, collatis libris, & præcipuè rubricis. [b] Contius, ex per-

z Cuia. c. 50. de app.
a C. 20. diſt. 54.
b Cont. præf. & nou. 6. 28.

fectiore etiam exemplari eandẽ factam interpretationem, quam hoc est, quod nos habemus Græcum, scribit non semel. [c] His addo, quod de veteri politicorum versione notat nec semel P. Victorius, esse illam supra Græcum, qui nunc est eorum librorum textus, & de meliore textu acceptam. [d] Etiam alios auctores emendant alii sic ex versione Latina. Sic Epiphanium Iunius. Sic ipsum Testamentum nouum Beza. [e] Sic Hieronymus, Bibliorum emendatiora Græcis Latina exemplaria, Græca Ebræis, vt apud glossam quãdam est, quam tamen somnium ininsulsissimum dicit Erasmus in epistolá libri tertii ad Fischerum. Et quidem tu cum Erasmo sic tene in libris Dei. Extra libros Dei possunt hęc valere. & ea ego adfero ad libros hominum. Quia tamen mea hæc opinio non facilè obtineret de non recurrẽdo ad fontem Græcum Nouellarum: age, de isto recursu perficiamus exponere. Recurrendum est sæpe,

[c] Vict. ep. ad lect. item lib. 3. 7.

[d] Iun. Tert. ad Val. 7. x. Bez. 1. Cor. 15.

[e] Gl. c. 6. dist. 9.

sæpe, quum quid Latinè redditum latiùs ab Irnerio videtur in illis assutis Codici, quàm in ipsa versione est authentica. Et sic textus Græcus iudex erit & Irnerii, & interpretis veteris, & alterius cuiusque. Ecce autem gratia exempli, versio Nouellæ 107. §. 1. dicit, *filiorum nomina* &c.[f] At Irnerius, *librorum nomina*. vt is etiam sic comprehendat nepotes.[g] quod & Alexander probat magis: quia fauorabilis est illa dispositio. In Græco ipso autographo est, τὰ τῶν παίδων ὀνόματα. quod Græcum verbum disertè pro Irnerio est. nam liberos significat.[h] Vt pulchrè habes apud Augustinum in Modestino. Vbi & veterem illum interpretem reprehendit, qui itidem τοὺς παῖδας vertit *filios*, cùm vertere *liberos* debuisset. Ergò etiam Haloander errauit, qui dixit *filiorum nomina* in d. Nou. 107. Iulianus non errauit, qui dicit, vt Irnerius, *liberorum*, const. 100. Dic aliud: Habet interpres vetus in principio Nouellæ 117. verbum *disponere*.

f *Auth. quod sine desta.*

g *Alex. 7. cons. 114.*

h *Aug. l. 2. de exc. tu.*

per qđ in casu illo dari dicit filiofamilias testamenti faciendi potestas. [i] Vt sic scilicet verbo hoc vltima voluntas nostris significatur. Ceterum verbum Græcum Nouellæ significat *administrare.* [k] Vt ita Duarenus respōdet aliis. Atq; hæc satis. [l] Notaui alibi aliud, quod dissolueret Iasonis argumentū terribile. Et idem est hîc aptissimum. Porrò illi mihi notandi sunt, velut parū attēti, qui in re quoque Latina argumentantur de eadē translatione veteri Nouellarū, quasi de verbis Iustiniani.[m] quod olim in aliquo edito libello admonui. [n] Etiā Manutius: SISTI IVDICIO *etiam passiuè dicitur: vt apud Iustinianū Nou. 69.* [o] Etiam alii errant hîc, Romanus, Socinus, ipse Alciatus, Oddus doctor meus. Theodorus Beza nec excusandus, etsi scribit, MOLESTABANTVR *vtitur Modestinus iurisconsultus: si modo is Latine scripsit.* nā quis est, qui nesciat, non esse Modestini, qui scripsit Græcè, sed barbari interpretationem, [p] in qua legitur istud ver-

i Decia. 2. cons. 48.

k Duar. qui te. fa. po.

l Alb. Disp. ad l. 1 de V. O.

m Alb. 3. Lect. 2.

n Man. ora. pro Quin.

o R. l. 23. de her. inst. S. l. 4 de iu. isd. A. rub. de off. ei. O. cons. 13. B. Luc. 6.

p l. x. de excus.

verbum? [q] At Socinus iunior ridendus quoque ſit, qui negat dicendum, veterem, & nouam Haloandri verſionem non importare idem. Etſi enim in quæſtione illa Socini meliùs concordentur verſiones iſtæ: ſæpe tamen concordari non valent. Pertinet tamen hæc inſpectio ad interpretationem. Audi verſiculos, quibus Gribaldus omnem interpretationis partem complectitur: *Præmitto, Scindo, Summo, Caſumque figuro: Perlego, Do cauſſas, Connoto, & obiicio.* Perlegere eſt de veritate conſtituere litteræ variantis, aut aliter mendoſæ. vt ille declarat. Et de Nouellis ſic.

[q] *Soc. rub. de no. op. nu.*

De libris Feudorum. CAP. VIII.

LIbri ſuperſunt Feudorum. [r] Qui dicuntur collatio decima. quia ([s] dicebat Odofredus) à Iuſtiniano poſita poſt nonam ſit Nouellarũ: facta, inquiebat Albericus: confecta ab Vgolino primũ de legib. Friderici, & Conradi; quod rectius tradit Fichar-

[r] *Bar. conſt.* ad repr.

[s] *Pic. præl. feud. Alb. l. de* quibus.

dus in vitis recẽtiorum Iurisconsultorum, & Forsterus in historia iuris ciuilis Romani. Priora illa Odofredi ridicula. Vndecimam collationẽ ait Bartolus extrauagantes *Ad reprimendũ, qui sint rebelles*. Quod si decimã collationem tu cũ Cõtio feceris earum nouellarũ, quæ extra glossiatas sunt, & extrauagantes appellabantur, iã erit etiam duodecima collatio in his Feudorum. Attamen ista nihili. [r] Ipsum opus Feudorum alii diuidebant in libros tres, alii vno tãtum libro habuisse videntur, sed cõmuniter partiuntur in duos. Et hos duos ita retinet Hotomanus, atque tertium adiungit. Cuiacius facit libros quinque, & turbat omnia. Nos videamus, primũ de vsitatis duobus. Fuit verò quæstio, si preter constitutiones imperiales habeant libri illi ius cõmune. aut consuetudo Mediolanensium, vel aliorum esse aliis ius non debeat. Quam quæstionẽ & alii, & Iohannes Andreæ, latè tractat. Et is concludit, ius esse commune, & ita teneri

[r] *Ias. præl. ud. feud. Io. A. c. 8. de feu.*

teneri à multis. Verùm Hostiensis, & alii quidam negarunt idem hoc. quia locales illæ consuetudines sint, non vniuersales. igitur nec ligent vniuersos. Habent & alias rationes isti. At neque tamen sibi constant. Et opinio cõmunis nunc est contraria certè. Et rationib. Hostiensis, & sequacium facilè respondetur. [u] Etsi scilicet sint locales consuetudines: tamẽ in scriptis redactæ, & tacito generali consensu probatæ, iam sint generales effectæ. [x] Adde, quod libri pro authenticis habiti, obseruati, allegati per tanti temporis spatiũ, cuius initii memoria non exstat in contrariũ. [y] Et de communi ista opinione olim etiam Albericus. qui & contradicentes citat. Et ipse nihil definit tamen. Nam fuit certè tum controuersia. vt vides apud Iohannẽ Andreæ: qui & Hostiẽsẽ citat in cõtrariũ, & doctorẽ suũ. Oldradũ & illic citat Picus: & ipse tamen Picus stat cum communi hodierna. Tum non quæsierant adhuc libri auctoritatẽ à tẽpore, & vsu.

[u] *Cur. de feu. q. 1.*

[x] *Clar. §. Feudum. q. 3.*

[y] *Alb. l. de quibus.*

a Bal. prælud. feud.
a Loriot. prin. comm. in vs. feu.

a At, *deficiant modò latrare pertinaces*, ait Baldus pro communi rectissime. a Ille non rectissimè, qui scribit, *Miror, nonnullos dubitasse, an teneant auctoritatem iuris*. Olim enim & dubitandum fuit valde, imò tenendum validè, libris non fuisse iuris auctoritatem: quum illi certo munimēto destituerentur, adprobatione vsus diuturni. Quod notes quoq; contra addita secutorum ad Nouellas, alibi: & cōtra Cuiacii, & Hotomani addita hîc. Nec differentiam vllam egò constituo, quod libri isti scripti à priuatis sint, alia dicātur principū esse. Nam neq; illi fuerunt principes nostri, at priuati viri nobis. itaq; non nisi comprobatione quadam valeāt apud nos cùm isthæc priuatorū, tum illa principum. Etiā non ipse moror, quod idē, nescio quis Loriotus (b an quem Hotomanus dicit delirum, & stolidum?)non moror, quod is moratur, & vult, ab ipso imperatore compilatas videri consuetudines Feudorum, sed consilio Oberti, & Gerardi. Non

b Hot. 1. de nupt. 1.

moror,

moror, eas cõſuetudines eſſe adprobatas ab imperatoribus. Niſi iſte loquitur de his terris, quæ parẽt imperatori. Scilicet imperator alibi non imperat, at priuatus homo eſt. Conſuetudo alibi imperat recepta. Conſuetudo etiam neſciẽte principe introducitur: vt nec egeat illius cõfirmatione. Quæ benè & cum aliis idem tradit. Et ſic igitur libri illi duo ſunt authentici. [c] Etiam in cauſis eccleſiaſticis ſunt authẽtici, ſi non cõtradicant canonibus, expreſsè. quoniam videãtur ab eccleſia adprobati. Quæ nouiſſimè Decianus. Et itidẽ cõmunis opinio eſt Claro. [d] Probata ea iura à iure canonico, ait Decius. [e] Compilata ab imperatoribus, aut adprobata tacitè, etiam Alexander. [f] Et, legem ciuilẽ eſſe partem iuris diuini, Baldus. Sed firmius in ſecũda quæſtione Curtius, cõſuetudines iſtas nõ dici ciuiles leges, nec introductas à principe ſeculari, ſed dici conſuetudines vniuerſales, tacito cõſenſu vniuerſi populi introductas:

[c] *Decia. 3. conſ. 90. Clar. d. q. 3.*

[d] *Dec. conſ. 78.*

[e] *Alex. 5. conſ. 10.*

[f] *Bald. d. prælud.*

& sic tam consensu laicorum, quàm clericorum, igitur illis clericos quoque alligari. Pulcrè verò addit, quod aut loquimur de legibus imperialibus, hîc insertis, & istę imò nõ ligent clericos , nisi quà adprobatæ iure sint canonico. aut de aliis decisionib. introductis ex vniuersali consuetudine : & istæ ligent etiam clericos. Audisti autem rationes istius differentiæ. Hinc & illa differentia inter hos libros , & Decretum Gratiani, recitata eidem Lorioto, Gratianum non teneri, qui non scripsit consue-
g Clar. d. q. 3. tudines, sed voluit dictare leges. [g] Authentici sunt libri definiendis caussis feudalibus, non etiam aliis. nec enim trahitur ius consuetudinarium.
h Clar. q. 2. Duar. prin. Alc. 4 par. 22. [h] Videlicet manent illæ consuetudines. & sic semper citantur. quæ per eos scriptæ, qui non habebant legis condendæ auctoritatẽ. & libri tantũ sufficiunt consuetudini probandæ.
i Cur. q. 3. [i] Hæc quoq; sint minus consuetudines, quia tacitè adprobati libri sint ab imperatore, & principib. aliis: atque

que ita vim imò habeant legis. Nam adprobati sunt cũ sua qualitate consuetudinis. Vt sic ius prætorium adprobatum à ciuili non sit ciuile, nec tantæ potentiæ, vt ciuile. Allegabiles nec sunt in alia materia. etsi dicitur lex quoque tolli à consuetudine. Neque enim legis, etiã ratio tollitur. Itaq; alia possunt per legis rationem definiri: non sint definienda per istas consuetudines. Videlicet sola ratio sufficiat ad decidendum. Lex tamen abrogans etiã rationẽ legis abrogat. Vt hęc disputat Curtius. Concludit verò, imperiales leges allegabiles hinc alibi quoque: itẽ & alia: nisi sint contra regulas iuris cõmunis. Et in hãc distinctionẽ citat Alexandrũ, & alios.[k] Etiã de verbis earũ consuetudinũ nõ faciẽdũ fundamentũ in alia materia, etsi fiat de rationib⁹, tu tene ex Alciato. qui & de verbis vulgi ibi exponẽdis. quod dicã tibi in alia disputatione.[l] Etiã tene, ꝙ, quia sunt cõsuetudines, etiã cõtrariis tolli possũt cõsuetudinib. Nũc de additis ali-

[k] Alex. 9. cons. 98.119.

[l] Dec. cons. 269.

quid & nos addamus, itẽ & de ordine, & de rubricis.[m] Sunt quædã, quæ dicuntur iſthic apocrypha. & quæ in libris omnib. non habentur. Ea negantur authentica. Quæ in aliis habentur, in vno nõ habẽtur, ea negare authẽtica rationis nõ eſt. Quod nota. quoniã audies,[n] *Hæc linea deeſt in libro domini Simonis. ſed cõmuniter in aliis habetur.* At quæ ſunt in nullis libris, aut ſolo in vno, vel altero, iſta rurſum cur capimus?[o] Leges apud Iohannẽ Andreæ de lege quadam, & rubrica, quæ nõ haberet in cõpilatione, qua vtimur, feudorũ, at quæ fortè, vt ille inquit, *in antiqua fuit*. Eſt illa nunc in editione Cuiacii prima libri quinti, titulo, *Conſtitutio Conradi de beneficiis.* Et olim aliis verbis erat illa rubrica concepta. Et ſic igitur non ſolus Cuiacius, ſed & Iohannes Andreæ probare in ius iſta quoq; videtur, quę nunc in nullis exſtent libris, ſed *fortè* exſtiterint. Quod tamen dictũ fortiter defendi nõ poteſt: ſi vſus, & tempus hîc totũ faciunt.[p] Etiam alii, *Hoc dicta-*

[m] *Alex.* 1. *conſ.* 29. & *lib.* 5. *conſ.* 9. & *Barb. int. Alex.* 4. *conſ.* 55.

[n] *Bald c.* 1. *per quos fi. inu.*

[o] *Io. A. c.* 2. *de imm. eccl.*

[p] *Aret. l.* 110. *de V. O.*

dictabat quædã constitutio antiqua feudorũ. [q] Et Baldus, q̃ in quibusdã extraordinariis capitulis feudorũ, quam & appellat collationẽ vndecimã, quid sit, quod non habetur cõmuniter in decima. [r]. Et quod nũc habet idẽ Cuiacius ex adiectis Ardizonis, & Aluaroti. [s] Etiã glossographus sic recitat caput, quod hodie nõ habetur. [t] Cęterũ quod scribit Ludouic⁹ Bologninus, esse apud Dænicanos Bononiæ originale verũ horũ librorum: atque de eo aliisq; multis quod addit verba plurima & limitationẽ ad titulum *de alienatione paterni feudi*: quæ nec vulgati libri habẽt, nec Hotomanus, nec Cuiacius: id quid sit, nõ equidẽ cerno. Contra consiliũ illud Bolognini consuluit collegiũ Bononiense; non cõsulturum, opinor, si ille textus esset, vt recitat Bologninus, aut libris illis Bononiensib. vllam detulissent fidẽ Bononienses. Nam quod multi consuluerint idem secum, id ex aliis rationibus fieri potuit. Tu hîc audisti antea de fide Bolognini. Adde v-

[q] *Bal. 5. cons. 294.*
[r] *Cuia. 4. feud. 104.*
[s] *Gl c. 1. in qui ca. feu. am.*
[t] *Bologn. cons. 1.*

Bologn. cons. 24. num.[u] Negat alibi, esse verbum *manifestissimis* in *l.3.§ 1.in fi.de iu.fi.* & aduocatum, sibi contrariũ, habuisse in libro suo non benè. Quod tamẽ verbum est & in Florentinis, & in vulgatis. Caue, cui, & quomodo fidas. & ad propositum reuertamur. Quid si
x Ardiz. summ. c.1. Ardizo,[x] auditor ille Vgolini, primi hîc cõpilatoris: quid si Aluarotus, alii, de quib. Cuiac. affert, iudicãt plura? Nã quod ex Lõbarda, ex Francicis, ex Neapolitanis adducit Hotoman: non reiicere ab auctoritate iuris ridiculũ quoq; sit. Cuiac. additis suis omnib. tãtã esse vult auctoritatẽ, quã tam aliis. Et cur non? ait. Cui hactenus dicta respondent. Ait, *Et quando ista iuris parte nulla veterum prudentum scriptis indigentior est, quæ, malum, hæc stultitia, vt has reliquias improbemus?* Quod acceptũ de Iohanne Andreæ est: *Quia iure Rom. & Lombardo* ait Iohannes, *parum de feudis habetur, sequẽdum sit ius consuetudinariũ hoc, quod solũ habemus.* Atque nos nec contendimus ista improbanda, quæ à proba-

tis

tis nõ discrepant. sed hactenus probata non esse in iudiciis, in scholis, in scriptis. hoc dicimus. [y] quod est verissimũ. At iam de ordine quid dico tibi? Variatis in duob. etiam primis ad ꝓbatis. [z] *Pauci sunt, qui habeãt ita ordinatè in libris suis sicut Odofred⁹*: scribit Bald⁹. [a] Etiã caput aliqđ sub vna rubrica alibi est, & alibi sub alia. Quod etiã in libris Digestorũ videbis. Et ego tibi defendã tum quoq; quũ idem caput dicitur bis esse sub titulo vno. De rubricis tandẽ variantib. ostẽdit illico rubrica ipsa prima apud glossatorẽ, itẽ aliæ. [b] Etiã in quibusdã nõ esse rubricã distinctam, sed alterius partẽ. Quæ notata glossis plura, & aliis interpretib. passim. [c] *Rubricæ feudorũ diuersimodè*: inquit Iason. Mira incõstãtia est, & pudẽda varietas. cui; pudẽdũ sit, tẽtare auctoritatẽ vllam. [d] Quicquid & ab ordine rubricarum glossographusq;, aliiq; hîc argumẽtẽtur, etiã vt à sequentibus corrigantur præcedentia. Cuiacii non pudẽs facinus, at plenum confusione: qui

[y] Euer. lo. ab. auct. itẽ à feu. ad em.
[z] Bal. prælud.
[a] Io. A. c. 17. de decim.
[b] Gl. rub. op. vell. abb itẽ qui succ. te. Io. A. d. c. 17
[c] Ias. præfat.
[d] Gl. tit. 2.

vetera, & noua immiſcuit, ſollicitauit omnia. Quod tamẽ aliiq; fecerũt antea. *Ego aũt*, ait Iaſon, *cõſidero, quod renouare præſentẽ librũ, eſſet cõfudere gloſſas vtriusq; iuris, & vtriusq; cenſuræ Dd. qui allegãt iſtũ librũ ſecundũ formã, & ordinẽ, quẽ habemus*, &c. Et Hotomanus, *Quia nihil melius affertur, malũ bene poſitũ (iuxta prouerbiũ) retinendum*. Aut, quid effecit Cuiacius? Librum ſuum tertium totum conficit ex duob. titulis ſecundi vulgati. Conficit quartum ſuum ex eiuſdem vulgati ſecundi titulis quam plurib. De quo item & trãsfert multos in quinctum. Hotomanus pudẽter, & prudenter, qui addita omnia ſepoſuit in librũ vnũ.

Atq; ſic de libris his, & reliquis iuris ciuilis omnibus. Nam adhuc dicere, quod conſuetudines feudorũ plurimũ ſint ſublatę in Gallia, alibi, nõ omnino oportet. niſi idẽ & de reliquo iure librorũ Iuſtiniani facere velimus. quod tamẽ nec poſſemus: qui mores gentiũ ſingularum, ac ciuitatũ neſcimus. Tu in factis, quæ occurrent tibi, cõſiderabis, & quęres.

FINIS.